

me XXX aussi bien qu'au psaume LXX. Sa teneur liturgique, en effet, reprend, pour la majeure partie, un texte commun aux deux psaumes, elle contient, en plus deux passages dont l'un ne saurait provenir que du psaume LXX l'autre du psaume XXX. La place variable du verset, dans les différentes séries, ne présente donc rien d'anormal.

Voici le verset en question :

IN TE DOMINE SPERAVI NON CONFUNDAR IN ETERNUM IN TUA JUSTITIA LIBERA ME et eripe me, INCLINA AD ME AUREM TUAM, *accelera ut eripias me.*

Les mots imprimés en petites capitales sont communs aux psaumes XXX et LXX, ceux en caractères ordinaires se lisent uniquement dans le psaume LXX, ceux en italique dans le psaume XXX. A remarquer, toutefois, le passage IN TUA JUSTITIA que porte la version prémontrée : il ne figure que dans le texte de l'itala du psaume LXX, la vulgate porte IN JUSTITIA TUA, comme le missel romain et d'autres avec lui. D'autre part, la lecture *eripias me* est aussi celle de l'itala du psaume XXX, la vulgate portant *eruas me.*

Enfin, il faut noter que les deux mots AD ME du passage INCLINA AD ME AUREM TUAM, bien que figurant dans toute la tradition manuscrite de Prémontré, comme aussi dans le missel imprimé à Paris en 1578, sur les ordres du général de l'Ordre, Jean Despruets, ne se lisent plus dans les missels et les graduels imprimés depuis le XVII^e siècle ²⁾. Il y aurait lieu de combler sans retard cette lacune, survenue sans doute à la suite d'une simple distraction du rédacteur ou de l'imprimeur.

Pl. LEFÈVRE, O. Praem.

De sensu termini " Ordinis ", in fontibus saeculi duodecimi.

Triplicem significationem specificam fontes saeculi duodecimi termino « Ordinis », in genere tribuunt. Ante omnia constat termi-

²⁾ Le premier missel imprimé après la réforme des rites au sein de l'Ordre est celui de Pierre Gosset. Il porte comme titre : *Missale ordinis Praemonstratensis, Petri Gossetii abbatis auctoritate correctum ac emendatum*. Parisiis, Seb. Cramoisy, 1622. — L'alléluia *In te domine speravi*, sans les mots *ad me*, y figure à la page 207. Sur les différentes éditions du missel de Prémontré, voir L. GOOVAERTS, *Ecrivains, artistes et savants de l'ordre de Prémontré*, t. IV, p. 204-205, Bruxelles, 1909-1916.

num « Ordo », etiam iuxta sensum strictiorem hodierni iuris religiosi, praeter sensum prorsus technicum can. 488, 2°, Codicis Iuris Canonici, inveniri, tam sensu *singulari*, seu *distributivo*, pro designanda quadam Religione votorum solemnium in singulari (can. 492 § 1 ; 536 § 1 ; 1557 § 2, 2°), quam sensu *collectivo*, pro variis Religionibus sub aspectu iuridico prorsus distinctis, sed sub eadem Regula militantibus (can. 613 § 2), quo sensu tamen Ordo non est persona moralis cum existentia iuridica distincta ¹⁾. Antiquitus vero, praeter alios usus multiplices, « Ordo » etiam sensu specifico atque pro Regula, secundum quam monachi vel canonici vivebant, ac pro ipso monasterio aut unione plurium monasteriorum, sumebatur ²⁾).

Perbene omnibus notum est, normas, quibus vita monachorum et canonicorum regularium ordinabatur, variis antiquitus designari nominibus. Vocantur imprimis *Regula*, seu norma fundamentalis vivendi, sive monachorum sive canonicorum regularium ; *instituta*, quae Regulae observantiam determinabant. Quia deinde haec praescripta particularia ordinem in specie constituent, quo Regula in concreto observabatur, appellabantur etiam « ordo ». Cum « instituta » usus pro fundamento habuerint vel consuetudines etiam scriptas in observatione Regulae constituerint, dicebantur etiam *Usus* seu *Consuetudines*. Certe etiam Regula ipsa aliquid ordinat et quidem ipsam rationem vivendi fundamentalem, ideoque non omnino impropria aliquando dictabatur etiam « ordo » ³⁾. Imo, cum integrum modum vivendi monasticum tum Regula tum Instituta in particulari ordinaverint, merito sub nomine « ordinis » venerunt et Regula et Instituta simul sumpta. « Regula » et « ordo » tamen in fontibus saepe etiam contrapposita leguntur ⁴⁾. Cum denique Regula et Instituta pro aliqua dabantur communitate, vocabatur « ordo » etiam ipsa communitas ⁵⁾.

¹⁾ T. SCHAEFER, O. F. M. Cap., *De Religiosis ad normam Codicis Iuris Canonici*, Romae, 1947, n. 157; G. MICHIELS, O. F. M. Cap., *Principia generalia de personis in Ecclesia*, Lublin-Brasschaat, 1932, p. 357. Codex Iuris Canonici, quando hoc termino utitur, semper litteras maiusculas adhibet.

²⁾ Cfr. DU CANGE - C. DEFRESNE, *Glossarium ad scriptores mediae et infimae latinitatis*, I-VI, ed. L. PAVRE, Niort, 1883-1887, sub voce: Ordo; idem FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis*; Kl. MOERSDORF, *Die Rechtssprache des Codex J. C.*, Paderborn, 1937, p. 168.

³⁾ S. BERNARDUS, *ep.* 42, P. L., 182; col. 830.

⁴⁾ Vide *Chartam Caritatis*, ed. J. TURK. in *Anal. S. Ord. Cist.*, IV, 1948, pp. 107-114.

⁵⁾ De his vide fusius J. TURK, *Cistercii Statuta antiquissima*, l. cit., p. 68 ss.

Sufficiat quibusdam exemplis e primis documentis pontificiis pro monasteriis Praemonstratensium relictis nec non ex *Charta Caritatis* desumptis, dicta illustrare.

Statuimus, ut in Ecclesiis vestris, in quibus fratres vitam canonicam professi degunt, nulli omnino hominum liceat secundum Beati Augustini regulam ibidem constitutum « ordinem commutare » ⁶⁾.

Imprimis... statuentes, ut « ordo canonicus » qui secundum Beati Augustini regulam et « formam » religionis recondendae memoriae Norberti... ibidem noscitur institutus, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter conservetur » ⁷⁾.

Imprimis... statuentes, ut « ordo canonicus » qui secundum Beati Augustini regulam, et « normam » Praemonstratensium Fratrum ibidem noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur ⁸⁾.

... Adiicientes etiam ut ordo canonicus qui secundum Beati Augustini regulam, et « institutionem » fratris nostri bonae memoriae Norberti... in eadem est Ecclesia stabilitus, futuris temporibus ibidem perpetuo conservetur ⁹⁾.

... quoniam nobis bene constitit per fratres Ecclesiae Praemonstratensis vos secundum Beati Augustini regulam in « Praemonstratensi ordine » primitus confirmatos, ipsi utpote matri omnibus, quae « ordo » expostulaverit, debetis obedire ¹⁰⁾.

Nec deest documentum in quo nec sensus quidam abstractus et collectivus « ordinis » est alienus, quo nempe tota communitas Norbertina videtur designari.

⁶⁾ Bulla « *Apostolicae disciplinae* » Honorii II, 16 febr. 1126. Cfr. JAFFE-LOEWENFELD, *Regesta Pontificum ad annum 1198*, Lipsiae 1885-1888, nr. 7244; Ed.: J. LE PAIGE, O. Praem., *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 392; etiam G. MADELAINE, *Histoire de S. Norbert*, ed. 3, Tongerlo, 1928, pp. 208-210. — Terminus « ordo » in antiquis editionibus semper scribitur littera maiuscula, sed orthographia non praeiudicat sensum genuinum termini.

⁷⁾ Bulla « *Quotiens illud* », Innocentius II, 20 sept. 1138, ad Praepositum Pohldensem. Cfr. JAFFE-LOEWENFELD, nr. 8010. — Ed. C. L. HUGO, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, II, Nanceii, 1736, *Prob.*, col. CCCLXXXV.

⁸⁾ Bulla « *Venerabilium locorum* », Innocentius II, 20 april. 1138, ad Praepositum Poehldensem. Cfr. JAFFE-LOEWENFELD, nr. 7893. Ed. *ib.*, col. DCLXXXVI (694).

⁹⁾ Bulla « *Apostolicae Sedis clementiae* », Innocentius II, 10 nov. 1138, ad abbatem Septem-Fontium. Cfr. JAFFE-LOEWENFELD, nr. 7912. Id. *ib.*, II, col. CCCXCV.

¹⁰⁾ Bulla « *Quando quidem* », Eugenii III, 25 maii 1146, ad Praepositum Varlensem. Cfr. JAFFE-LOEWENFELD, nr. 8926. Ed. *ib.*, col. DCLII (660).

Hugoni abbati Praemonstratensi eiusque Coabbatibus, Praepositis... « Praemonstratensis Ordinis »... *Sacra vestri Ordinis religio sic vos dignos favoris gratia per excellentiam meritorum constituit... unusquisque... ut « ordo vester » de bono in melius provehatur diligentius elaboret... Ut autem tam in Praelatis quam in Subditis « vestri Ordinis » integritas abbatum inviolabiliter observetur, decernimus ut si quis abbatum Ecclesiarum vestrarum, ab ordinis sui proposito et consuetudine Praemonstatensis monasterii deviaverit, Pater Abbas... eum... commoneat... Episcopus sub praesentia et testificatione Patris Abbatis, et duorum « eiusdem Ordinis » Abbatum. « Ordinis » transgressorem deponet¹¹⁾.*

Quamvis difficile sit in hoc documento sensum univocum invenire « ordinis », praevalere tamen videtur sensus primarius seu normativus, quatenus scilicet « Ordo » modum vivendi significat, Praemonstrati imprimis, in aliis deinde locis, ubi idem « ordo » introductus fuerit¹²⁾, vigentem. Verumtamen, etiamsi pro designanda communitate Norbertina Bulla locutione concreta *si quis abbatum Ecclesiarum vestrarum* videatur uti, non est difficile, saltem ex contextu, significationem quamdam abstractam, collectivam tamen, deprehendere « ordinis », qua tota communitas secundum « Praemonstratensem ordinem » vivere intelligatur oportet. Sic in locutionibus « *ut ordo vester de bono in melius provehatur* », « *vestri ordinis* », praesertim si cum partibus subsequenter sententiae coniungantur.

Nullus invenimus documentum e tempore primordiorum Praemonstratensium, in quo sensus occurreret derivatus termini, quo scilicet « Ordo » Congregationem monasticam seu Ordinem significaret hodierno sensu singulari sumptam.

¹¹⁾ Bulla « *Sacra vestri ordinis religio* ». Innocentii II, 12 apr. 1131. Cfr. JAFFE-LOEWENFELD. Ed. LE PAIGE, I. c., p. 419.

¹²⁾ Huiusmodi sensus « ordinis » etiam posterioribus temporibus perdurat et pluribus scriptis originis Praemonstratensis invenitur. Hoc sensu usus est termino Ulricus, abbas Steinfeldensis (1152-1170) in epistola ad abbatem Strahoviensem, occasione cuiusdam conspirationis contra abbatem, scripta: *De multitudine... conspiratorum non aliud respondere audeo vel debeo, nisi, qui contra « ordinem » peccare non timuerunt, per « ordinem » puniantur... Quid autem de hiis, qui per conspirationem vel malitiosam concordiam adversus abbatem secum se exerunt, « in ordine scriptum sit » melius nostis... ut vel ad matricem revocati vel per alias ecclesias divisi, si in « ordine » salvari cupiunt, secundum « instituta ordinis » poenitentiam agere non recusent* (Ep. 17, ed. ROTH, *Eine Briefsammlung des Propstes Ulrich von Stenfeld aus dem XII Jahrhundert*, in *Zeits. des Aachener Geschichts-Vereins*, XVIII, 1896, p. 271).

Ex examine textuum antiquorum Cisterciencium patet usum termini « ordinis », initio sat fluentem fuisse et cuidam evolutioni subiectum in decursu temporis, quo successivae redactiones « Chartae Charitatis » prodierunt. Dum priores redactiones illae textus quasi exclusive directo utuntur termino, pro ratione scilicet vivendi iuxta Regulam, posteriores primum sensum retinendo, terminum adhibent etiam sensu derivato, ad designandam totam communitatem seu Congregationem monasteriorum Cisterciensium sensu hodierno sumptam ¹³⁾.

Praedicta ergo exempla demonstrant, « ordinem » sensu historico et specifico sumptum, et quidem *primario et directo*, rationem imprimis vivendi, monasteriis monachorum et canonicorum regularium communem, designasse. Constat etiam, « ordinem » sensu quodam *derivato, abstracto et colectivo*, iam initio saec. XII in usu fuisse, et unionem significasse quandam moralem monasteriorum a communi stipite descendentium et iuxta eandem Regulam et Institutiones ordinatorum; raro tamen designasse *sensu translato et quidem distributivo* seu singulari, corpus quoddam iuridicum sub suprema auctoritate regulari constitutum, prout prima vice in *Charta Caritatis* apparet.

Tuto ergo concludi potest, « ordinem Praemonstratensem » sensu primario et directo, initio saltem, *usus* significasse et *consuetudines particulares* Norbertinae institutionis, iuxta quas Regula S. Augustini apud Praemonstratum imprimis, in ceteris deinde foundationibus Norbertinis observata est; et non sensu derivato et abstracto, sive colectivo sive distributivo, totam communitatem Norbertinam vel partem eiusdem in forma cuiusdam unionis iuridicae ordinatam.

H. MARTON, O. Praem.

¹³⁾ Hoc sensu scribit P. QUATEMBER: « Terminus 'Ordo noster' pluries in *Charta Caritatis* usurpatus, non significat rationem vivendi monasteriis communem, quo in sensu loquimur v. gr. de Ordine S. Benedicti, sed hic terminus in *Charta Caritatis* usitatus significat unionem iuridicam monasteriorum a Cistercio... descendentium,..., quae unum corpus iuridicum efformant » (cfr. *Acta Curiae Generalis O. Cist.*, II, 1933, p. 32, n. 2). Notamus tamen, hanc affirmationem textum respicere CC *posterioris*, et inculcandum esse adiudicandum 'pluries', nam aliquoties etiam CC *posterior* retinet sensum 'ordinis', imo et 'ordinis nostri', primum, quo 'ratio vivendi monasteriis Cisterciensibus communis' intelligi debet ».